



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

B. Albertus Magnus. 16. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Nov. 16. VITÆ SANCTORVM.

557

Quid potest tibi mundus conferre sine JESV? Esse
sine JESV gravis est infernus; & esse cum JESV dulcis
paradisus. Qui invenit JESVM, invenit thesaurum
bonum, immo bonum super omne bonum; & qui perdit JES-
VM, perdit nimis multum, & plus quam totum mun-
dum. Thom.de Kemp.l.2.

B. ALBERTUS MAGNUS.

16. Novembris.

ALBERTVM, quem nobis Lawinga Suevorum
dedit, MAGNUM fecit VIRGO MAGNA, in
cujus clientelam parvulus se dedit. Atque haec ad-
spectabilis ALBERTO, monuit ad D. Dominici ca-
stra transiret. Ivit ALBERTVS; verum quod indo-
lem ad studia tardiorem attulisset, penè statio-
nem suam tiro deseruit. Jam fugam paranti &
scalas admoventi cæli scala VIRGO iterum se obje-
cit, utque animos ALBERTO faceret, jussit inter
omnes & sacras & humanas scientias ejus optio-
nem facere, quæ maximè animo arrideret. Ille
continuò Philosophiam expetiit. Ne tamen sibi
hanc ascriberet, repetituram se dona sua olim
VIRGO edixit. Itaque ALBERTVS ille nuper om-
nium risus, per omnium ora nunc volare, Do-
ctorque primum Hildeshemii, tum Ratisponæ,
Lutetiæ deinde Parisiorum, Coloniæ Agrippinæ,
famâ nominis orbem implere. Sed omnia dixerat,
si D. Thomam unicum sanctioris doctrinæ ma-
gistrum, fuisse discipulum ALBERTI dixerat, qui
insulam Ratisponensem cum primum potuit cum
libris suis mutavit. Sed ecce tibi dum in ultimâ
senectâ orbis hoc oraculum responsa fundit, subi-
tò deficiente rerum omnium memoriâ, obticuit,
vivumque è scholâ funus discipulorum corona

Aa ; domum

domum cum lacrimis deduxit , quas ille etiam roties fudit, quoties aures MARIAE nomen pulsaret. Porrò quotidie abhinc tumulum suum contemplari solitus , inscendit denique hunc anno M. CCXC. Vivit tamen hodie etiam in libris suis, & eruditionis suæ fontes ubera VIRGINIS laudat.
Ex Bavar.S.Raderi.

Omnis actus nostri Christo socio debent vel teste compleri ; ut bona ipso auctore faciamus, mala propter ipsius contubernium declinemus. Erubescit enim mala facere, qui scit Christum se habere participem: Christus enim in bonis adjutor est , in malis noster est conservator.
S.Max.in Hom.

S. EDMUNDUS EPISC. 16.Novembris.

ANglos Gregorius Angelos dixit. Certè EDMUNDVS fuit. Hic nihil antiquius habuit, quam eos fugere , qui animorum ipsissimi latrones, Pyladen tamen mentiuntur. Et forte prato solus inambulabat , cùm videt formâ scitissimâ pusionem ; capit salutem, redditque. Audit eum esse, qui latus suum in classe, & ubi ubi effet assiduus stiparet. Mox exaratum in fronte JESV nomen legit, & hoc tunc jussus est contra mortem inopinam memoriæ semper infixum ferre. Tam JESV igitur amicus ausus est sponsam MARIAM ambire; quod ut amor facilis impetraret, annulos sibi geminos fabricavit , è quorum gemmâ gemma altera MARIA ab Angelo salutata emicabat ; horum altero VIRGINIS digitum , altero suum coronavit. Atque ita quidem ille pulchre virginitatem suam obsignavit. Ceterum cùm statas sponsæ suæ , & D. Joanni preces percurseret omisisset literis absorptus , ferulam Joannes intentavit